Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM INAUGURALEM MEDICAM

DE

FEBRE HECTICA,

Jussu atque Autoritate Illustris ac Gratiosissimæ Facultatis Medicæ in Inclyta Salana,

PRÆSIDE

AUGUSTINO HENRICO FASCHIO,

Med. Doct. Anat. Chirurg. & Botan. Prof. Publ. Archiatro Ducali Saxonico & Facult. Med. h. t. Decano spectatissimo,

Patrono, Præceptore, ac Promotore ætatem devenerando,

PRO LICENTIA

Summos in arte medica honores & insignia Doctoralia MORE MAJORUM legitime capessendi,

publico submittit examini

CHRISTOPHORUS KRAUSE,

Hallensis Saxo.

IN AUDITORIO MAJORI,

Ad diem XX. Februarii A. O. R. M DC LXXXIIX.

Horis ante & pomeridianis.

JENÆ,
Excudebat KREBSIUS.

Q. D. B. V.

ID certè videtur vero simillimum, vitam humorum in corpore nostro circuitu & æquabili motu magna ex parte contineri, & amico illorum perennari connubio. Quamdiu enim in placido hoc & leni perseverant commeatu, ac fermentationes, blandæ quidem & naturæ convenientes, ritè perficiuntur, vitæ functiones integræ sunt & sanitate perfruuntur. At, si quid offenditur, aut quovis modo circulus, quem absolvunt, sufflaminatur, aut peregrinus quidam hostis illorum turbat commercium, functiones læduntur ac morbi sobolescunt, aut inordinato concitati motu varia læsionum adornant genera, imò totius machinæ minantur interitum. Quod enim in machina hydraulicâ est aqua, illud suo modo in corpore animali sunt humores, hâc quamvis disparitate, quod non propter aliud, sed propter ipsam machinam animalem vivificandam & actuandam hi per corpus circumrotentur, adeoque sanitatis pariter ac morborum existant subjectum. Tristia sanè ac ferè quotidiana hujus rei cernere licet, non documenta solùm, sed & nocumenta, morbos intelligo, diros innumerarum, quæ mortales affligunt, miseriarum socios. Depromamus ex infinita illorum cohorte febres, quibus sanè nihil malorum communius, nihil perniciosius. Quippe febris familiarissima licet, ut Helmontii loquar verbis, potissimum tamen nostra saginat cœmiteria, & castra depopulatur, adeò ut ingeminet Poëta:

Vis sine febre mori? innuens febrem esse morborum communissimum. Sed furia hæc microcosmi non uno cruciatus genere crudelis existit hominum cœtui, sed tanquam Hydra lernæa innumera ferè ad nostrum interitum erigit capita. Ardua autem res foret & vix ingens suppeteret volumen, si singulas febrium investigare velimus species. Unicam saltem occasione hâc, jussu nimirum atque consensu Illustrisſimæ Facultatis Medicæ speciminis inauguralis loco hîc sistimus, decantatam adeò apud Medicos HECTICAM, tabidam illam mortalium perniciem, inque ejus, quantum pro viribus licuerit, genium curamque inquirimus & publicæ censuræ exponimus. Tu autem, o immortalis DEUS, juva & annue cœptis!

CAPUT I.

Definitionem Nominalem & Realem sistit.

OPeræ pretium esse ducimus, ut ad meliorem rei cognitionem pauca hîc circa Onomatologiam præmittamus. Hectica, qua de hoc loco differere animus est, vocabulum origine Græcum, etsi à plurimis autoribus, imò *Galeno* ipso *l. n. de differ. febr. c. 9.* & *Jonston. pr. l. 2. tit. 2. c. 3.* ἀπὸ τῆς ἕξεως *ab habitu* derivetur, quòd in illum quasi transeat, & in corpore καθ' ἕξιν stabuletur; non incommodè tamen, si non rectius, illi statuunt, qui ἀπὸ τοῦ ἐκτήκειν, vocem illam derivatam volunt, quod *deliquare*, liquefactum exprimere, metaphoricè autem *emaciare*, extabefacere significat. In hectica enim humor nutritius in gelatinosam magis substantiam conversus, quasi deliquatur, hinc omnia flaccescunt, tabefiunt atque consumuntur.

Dicitur

Dicitur autem ita dupliciter, vel *generaliter*; ſic audit omnis febris ſolutu difficilis, qualiscunque fuerit, vel omnis febris lenta à quacunque tandem cauſa proveniat, de qua in genere noſter hîc erit ſermo. Deinde *ſpecialiter* vocatur talis, quæ Putridæ & Diariæ contradiſtinguitur, vel quæ ſolummodo ab hujus vel illius viſceris, v.g. pulmonum inflammatione aut ulcere ortum habet.

Quoad Synonymiam appellatur à *Galeno* ἑκτικὸς πυρετὸς, μαρασμώδης πυρετὸς, febris quæ paulatim ad tabem perducit; Febris *colliquativa*, Paracelſo aridura, Tabes Hippocrati & Celſo; quamvis hoc nomen apud illos latius pateat, & Cachexia quoque & Phthiſis ſub eo comprehendantur, quæ tamen maxime invicem differunt. Vid. *Celſus* p. m. 167. & *Hollerius* in Hipp. Aph. 16. ſ. 7. Germ. Schleichende Hitze/ Darrfieber/Schwindſüchtiges Fieber. Sed ne adeò nimis in etymi luxuriemus indagine, ad rei ipſius nos convertimus definitionem, quæ talis eſſe poteſt:

Hectica eſt febris lenta à fermento ſanguinis minus acri minusque volatili, lymphæ tenaci ac viſcidiori longè inhærente exorta, corporis totius contabeſcentiam lentè inducens.

Genus conſtituimus febrim lentam, Græcis πυρετὸς λεπτὸς dictam, ægro interdum vix ſenſibilem. Calor enim admodum lenis eſt & quaſi occultus, primo attactu vix perceptibilis, modò blandus, modò mordax magis, duabus vel tribus poſt paſtum horis acrior, nunquam tamen ad acutarum vehementiam accedens; Pulſus itidem celer, vehementior ſolito ac frequentior, parvus tamen & debilis, cum ſucceſſiva virium proſtratione. Urina pariter intenſè tincta, craſſior, turbida, cum multo interdum ſedimento conjuncta excernitur. Ex quibus omnibus tanquam Pathognomonicis hecticæ ſignis febrim adeſſe conjicere debemus.

Differentia ſpecifica abſolvitur, dum *lenta* dicitur, partim ratione *moræ*, cum non adeò veloci motu ſuas periodos abſolvat; partim ratione *ſymptomatum* mitiorum, inprimis

 caloris

caloris minus intensi. In hoc enim ab acutis differt, quod impetus febrilis in illis sit vehementior. Differentia verò, quâ hectica febris ab atrophia, macie, tabe & marasmo distinguitur, talis est, quod in his omnibus corporis quidem consumptio appareat, hectica verò febrem continuò habeat sociam & ab ea foveatur; illæ autem absque febri corpus extenuent.

Caput II.

Subjectum denominat.

Cognitâ jam & nominis & rei definitione, consueto ordine *subjectum* ipsum aggredimur, quod duplex, Primarium nempe & Adæquatum, evolvemus. Subjectum *Inhæsionis* sive Principale statuimus sanguinē cum lympha, qui humores non solùm à partium internarum inflammatione, sed & ulceribus ac fistulis earumque pure ⊖so acri & simul viscido depravantur & ad exagitationem ejusmodi lentam febrilem provocantur.

Prisca quidem sapientia vult, Cor sive speciatim partes ejus solidas febris hujus esse subjectum, cum necessariò primum impetum illius caloris, à partibus vel exulceratis vel quovis modo inflammatis transmissi & Hecticam inducentis, vim suscipiant, susceptum calorem continuò foveant & sanguini propter mutuum contactum imprimant, fieri, ut plus æquo irritatæ & exsiccatæ faciant, quò minus cor benè sanguificet & per consequens totum corpus minus rectè nutriatur.

Verùm non judicamus calorem istum in corde primariò accendi, cum id ipsum omnem calorem naturalem, quem habet, à sanguinis & spirituum motu accipit; Ideò hujus potiùs Massæ illa inhæret indispositio, in qua latex serosus variis à causis deperditur ac depravatur, unde acrem ac fermentativam acquirit intemperiem. Atque ita non in habitu corporis tanquam calorem quendam in partibus solidis residentem consistere, sed potius instar aliarum

febri-

febrium in sanguinis & lymphæ undis acribus, tenacibus, viscidisq; redditis primariam hecticæ causam radicari nulli dubitamus.

Subjectum *adæquatum* sunt partes corporis totius solidæ, tàm internæ, quàm externæ, quatenus emaciatio in illis & maximè in carnosis evidentior evadit. Non a. eorum subscribimus doctrinæ, qui totam illarum partium substantiam sive compagem fibrosam aut carnosam penitus consumi, atque in nihilum qs. febrili incendio comburi ac redigi autumant; neque etiam ossa talem pati destructionem, utpote quæ molem pristinam in tabe enectis retinent, admittimus, cum rationi non minùs, quàm experientiæ repugnet, freti simul plurimorum suffragio, inprimis autem Nobilisſ. atque Excellentisſ. Lipsiensſ. Professſ. *D. D. Bohnii*, Patroni atque Præceptoris ætatem devenerandi, in *Circ. Anat. Prog. 7. p. 118.*

Satis quidem perspicua est illarum consumptio atque attenuatio, ut nobis ipsis etiam imponere & persvadere possimus, reverà de illarum substantia aliquid deperdi atque annihilari; *Verùm* tanta caloris hujus febrilis vis non est, ut solidissimam & compactam partium molem corradere atque conterere valeat, sed solummodò in gluten illud, quod instar tomenti cujusdam staminibus illarū adhærescit seu intertexitur, agit. Atque ideò marcor ille fit à succi tantùm nutritii glutinosi poris impacti, hosque distendentis consumptione, quàm necessario partium mollium concidentia & fibrarum abbreviatio, hinc musculi attenuatio & corrugatio sequitur, eodem quidem numero, flaccidi tamen & qs. exsiccati, post mortem reperiuntur. Exsiccari autem & marcescere tam internas, quam externas partes non solùm in ultimo hecticæ gradu ex facie Hippocratica innotescit, ob absumpta & exsiccata ea, quæ cavitates illas alias explent, & in tumorem quendam agunt. Monstrat id abdomen depressum & quasi subsidens. Propter pinguedinem, quæ aliàs in magna ibi est copia, absumptam & musculi abdominis, qui facti sunt flaccidi, imò intestina ipsa atque adjacentia viscera, quæ ab extenuatione non sunt immunia; Unde non potest non

major

major abdominis depreſſio ſubſequi ; ſed etiam ex cadaverum tabe defunctorum illud patet ſectionibus. Ita cor tabidum atque exſangue reperit *Thiermayer Conſ. 5. l. 1. Zacut. Luſ. Pr. adm. l. 1. obſ. 142.*, pulmonem dextrum inſtar ſpongiolæ minutiſſimæ exſiccatum *Salmuth. Cent. 1. obſ. 14.* pulmones flaccidos & conſtrictos, epar exſuccum *Barthol. Cent. 2. hiſt. 76.* & *Heurnius obſ. 13.* referunt; ut alias hujus generis taceamus autorum obſervationes. Oſſa quoque ſuum hîc luunt damnum, quatenus ſucculentia, quæ in vivis ſemper adeſt, & mollis perioſtio ſubjacens membrana, lento hujus febris calore conſumitur & exſiccatur, ſolidiorem aliàs illorum compagem nunc aridiorem fieri & magis indurari certum eſt, imò talia oſſa notabiliter imminuta ſe oſtendiſſe refert in tabe extinctis *Montanus in Avicen.. Fen. 1.*

CAPUT III.

Cauſas perpendit.

CAuſas Hecticæ quod attinet, ſunt vel immediata, vel mediatæ, & hæ quidem tàm proximiores, quàm remotiores. *Immediatam* adſcribunt *nonnulli* ipſius potisſimum ſanguinis viſciditati, reliquorũ tamen humorum, ſalivæ ac ſucci pancreatici glutinoſitatem non excludentes, à quibus partium nutritio magis impediatur, imminuatur, fermentatio hinc ceſſet, nec utilia ab inutilibus legitimè ſeparentur. Viſciditatem illam ab aucto acri acidoque humores viſcoſos ac tenaces figente, augeri volunt, dum v.g. ſanguinis aquea pars à nimio exhauritur motu. *Verùm*, hoc quidem modo explicari poteſt, quò minus nutritio fiat, non tamen unde colliquativus fiat calor. Non enim fluidior alimentorum pars, ob ſalivam glutinoſam, cum bile effervеſcere potuit, ut halitus ejus ad cor delati, juxta illorum mentem, frequentiorem pulſum excitent; neque glutinoſa illa fluida reddet alimenta. Ab animi mœrore Hecticam ſuſcitari, conjicere non poſſumus, quatenus ille ſuccum pancreaticum reddit auſteriorem, quia animi

pathe-

pathemata, quorum unicè in ſpiritibus vis eſt, cum ſucco illo nihil habent commune; Nec ira hecticam gignet, dum bilis augetur acrimonia. Tantum enim cum ira commercii intercedit bili, quantum mœrori cum ſucco pancreatico, uſque adeò, ut horum convenientia per Anatomen & ex ejus principiis demonſtrari haut poſſit.

Nos itaq; aliam hecticæ eſſe cauſam arbitramur: nimirùm *heterogeneum* quoddam, ſive fermentum minus acre minusque volatile, quod dum Mæ Sæ, ejusque ſatelliti *lymphæ* intimiùs permiſcetur & combinatur, natura noſtra ſeu ſpiritus tanquam hoſtile ſeparare & eliminare conantur, quô fit, ut febrilis excitetur inſultus. Cum autem peregrina illa materia acris vehiculo tenaci ac viſcidiori longè inſideat (quod vel ex ſolâ ſalivæ glutinoſitate ſerique ſanguinis evacuati lentore patet) febris illa evadit lenta, nec cum frigore inſtat; noxam enim illatam ſpiritus non adeò perſentiunt, ut excutere illam annitantur, hinc tantoperè non excandeſcunt; gliſcens ideoque febris hujus calor eſt, cum volæ manus madore & faciei nonnunquam phlogoſi.

Colliquatio demum humorum & macies oritur, quando ob calorem in ſanguine continuò latitantem & gliſcentem, inprimis verò poſt aſſumptum cibum ingruentem, à quô particulæ nutritiæ vitiantur & ſalia in muriam quaſi colliquantur, quò minùs in verè alimentoſam ſubſtantiam converti queant; hinc maſſæ ſanguineæ lymphæque ejusdem natura invertitur, ſtaſis diſſolvitur, partes nutribiles diſſipantur, &, quando ſudores nocturni ſuperveniunt, ſucci laudabiles eò magis invertuntur, attenuantur in vapores & denique per laxatos corporis poros exhalare coguntur.

Ex his patet, cauſam *mediatam* eſſe omne id, quicquid acrimoniæ ac glutinoſitati humorum producendæ favet, nempe digeſtiones depravatæ, prima & ſecunda, chylum & lympham crudiorem producentes. Plurimi enim, inprimis chronici morbi, immediatè & ſæpiſſimè communi multorum morborum parenti, humorum indigeſtioni, ſu-

am debent originem, quod prolixè & eleganter demonstrat *Sydenham* de *Podagra* & *Hydrope pag. 60. 61. & seqq.* Primarius autem fons atque scaturigo non nisi in intempestivo atque intemperanti ciborum usu quærendus est. Humorum enim abundantiâ sæpènumerò natura adeò obruitur, imò conturbatur, ita ut eos summâ vi summoque nisu propellens, necessariis simul & succis & spiritibus sese miserabiliter orbet & exinaniat. Pessundatis verò viribus, sequitur aut longa tabes, aut diuturnior marcor & certa mors. Sicut itaque non impleri cibis ad valetudinem tuendam confert juxta *Hippocr.* dogma *4. in 6. Epid. 22.*, ita cruditates sexcentorum malorum causam esse posse, sæpiùs à *Galeno de succo bon. & vit. 4. & 5. de sympt. caus. 1.* repetitum fuit. Veritati itaque conveniens enatum illud est proverbium: Vitia primæ coctionis non emendantur in secunda; quod divinus *senex* hisce olim indigitavit verbis *6. Epid. s. 3.*: Ventris segnities, vasorum impuritas, omnium confusio. Hinc si ventriculus munia sua non ritè obit, vasa impuris replentur humoribus, depravata omnium partium sequitur nutritio, & si non omnes, tamen plurimi morbi indè sibi capiunt primordia.

Remotiores causas constituunt res sic dictæ naturales, nonnaturales ac præternaturales.

Inter causas *naturales* eminet *Temperamentum* calidum & siccum ad generationem acrium humorum quàm maximè aptum: Quò magis enim biliosus observatur sanguis, eò faciliùs acredinem, lymphæ lentorem, febresque lentas inducere valet.

Ætatem licet in omnem cadat Hectica, nihilominus juvenilis & virilis majori exposita est periculo, juxta *Hipp. Aph. 29. s. 3. & s. 5. Aph. 9.*, ubi tabem ætatibus ab anno octavo decimo usque ad trigesimum quintum infestam esse pronunciat.

Etsi etiam in omnibus annorum temporibus morbi fiant, quidam tamen magis certis quibusdam nascuntur & exacerban-

cerbantur tempestatibus juxta *Hipp. Aph. 19. s. 3.* ad Hecticæ tamen generationem *æstas*, maxime autem *Autumnus* opportunus judicatur, quòd hoc tempore humores acres summa generentur in copia, testante id *Galeno ad Aph. 22. s. 3.*

Inter *non-naturales* primas obtinet *Aer*. Hic enim, cui omnes innatamus, non solùm facilè subit poros corporis nostri, sed etiam in inspiratione per canalem satis patulum corpus ingreditur ipsum, & humores juxta qualitates, quibus præditus, variè afficit. Ita est accusandus acribus infectus particulis, *calidus & siccus*, à quô materia nutribilis rarefit dissipaturque, colliquativus verò evadit ab ipso aëre pulmones continuò permeante. Et quemadmodùm ille æstum externum in corpus nostrum infert, ipsemet qualitate illa alteratus, ita quoque, à pulmonibus receptus eandem sanguini adducit, spiritibus cum sanguine influis miscet, spiritusque insitos simul inquinat, ad efflorescentiam sanguinem cogit, *κρᾶσιν* invertit, & tandem in sudorem resolvit. Ad talium productionem spectant etiam miasmata pulmonum putrida, exhalationes fumosæ, crassæ, metallicæ aut minerales. Vid. *Willis Pharm. Rat. p. 2. c. 6.* Eandem meretur culpam *crassus*, aut pluviosus, aut nebulosus, qui gravedines aut alia capiti mala inducit, pulmonibus sæpè ac toti corpori simul lethiferum minitantia marcorem & tabem.

Ferax quoque malorum est nimia *cibi* & *potus* repletio, omnium ferè morborum princeps & maxima causa. Ejus vero parens intemperantia judicanda est, quam Medicorum nutricem scitè admodum appellavit *Fernelius*. Quò faciunt alimenta succi parùm laudabilis continentia, nimis spirituosa & acria, humores viscidos, crassos & acres generantia, mellita, saccharata, acrimoniam in recessu habentia. Victus item salsus, crassus, glutinosus, potus acris, itemque vina acida & austera.

Vigiliæ nimiæ, lucubrationesque intempestivæ spiritus absumentes, ex quorum defectu lentor atque acrimonia humorum pariter contingit.

 Nimium

Nimium corporis *exercitium*, & labores continui lympham absumptâ humiditate aqueâ viscidam & acriorem reddentes, hùc quoque spectant. Vid. *Sylv. Pr. l. 1. c. 32.* Imò etiam ii, qui nimia quiete vel otio utuntur, tabem & hecticam incurrere possunt. Sic enim *Hippocrates*: usus membra magna reddit, otium vero tabem facit.

Conferunt nihilominus hùc suum symbolum *excretiones* atq; *evacuationes nimiæ*, ac diuturnæ, sive per alvum fiant, ut in dysenteria & fluxibus aliis colliquativis; sive per sudores, aut hæmorrhagias. Succus enim nutritius profunditur, & vitæ Thesaurus, sanguis, absumitur; Vel etiam in *defectu* peccantes, sanguinem reddentes impurum, acrem, crassum & fœculentum, qui in vasis præsertim capillaribus viscerum unà cum humoribus circulantibus in tubulis & vasis lymphaticis restagnans tabis contumacioris fœcundus parens esse solet, ceu solennis alicujus evacuationis, v.g. mensium, hæmorrhoidum, &c. suppressiones frequentius testatum faciunt.

Eundem merentur censum *passiones animi*, quæ facilè toti corpori noxas inferunt & sanitati insidias parant, suntq; omnes affectus graviores, mœrores, solicitudo, anxietas, tristitia, zelotypia, excandescentia ab ira, similesque acrimoniam atque austeritatem, hinc glutinositatem humoribus inducentes, aliàs nutribilibus.

Ad causas *præternaturales* spectant varii morbi, quos Hectica tanquam productum sequitur. Tales sunt febris Ephemera ap. *Forest. obs. 1. l. 4. de febb.* febres acutæ & ardentes, juxta *Eund. l. 2. obs. 4.* intermittentes intempestivè vel minùs ritè curatæ, *Gal. l. 1. diff. feb. 10. Horst. l. 1. obs. 30. & 34.* tertiana intermittens justo citius cessans, *River. cent. 2. obs. 22.* putrida male curata, *Horst. obs. 3. l. 1.* Causus, *Plater. l. 2. obs. Claudin. resp. med. 3.* Pariunt etiam Hecticam sæpissimè viscerum plerorumque, specialissimè autem pulmonum inflammationes & hinc nata ulcera atque apostemata, fistulæque partium internarum. Sic notavit hecticam ex ulcere Renum *Riverius obs.* à Fomio comm. 27. ab Empyemate *idem*

cent.

cent. 2. obs. 95. ex abscessu epatis *Volcher. Coit. obs. Anat. chirurg p. 120.* ex ulcere pulmonum modo alleg. *River. cent. 1. obs. 35. & 99. cent. 2. obs. 61. & 78.* & phthisi cum scirrho lienis *Dan. Horst. obs. Anat. 8.* Sic *Lindanus* super Hartmann. observavit hecticam contumacissimam ex carcinomate uteri. Ex ulcere asperæ arteriæ *Trincavell. l. 2. consf. 10.* Ex mesenterii abscessibus *Bont. Med. Ind. obs. 11.* Ex hepatis, ventriculi, septi transversi inflammatione se vidisse hecticum, scribit *Galen. l. 1. de diff. feb. 10.* it. ex fistula valdè sinuosa in ano latente *Forestus l. 23. obs. 25.* Oriuntur etiam febres hecticæ ex viscerum obstructione enormi, v. g. glandularum mesenterii, *vid. Timæus l. 6. ep. 7.* ex obstructione vasorum lacteorum & mesenterii, de quibus vid. *Salom. Albert* de morb. mesent. & pancr. § 1. Tabem induxerunt tumores ejusdem scirrhosi atque steatomata observante *Hildan. cent. 1. obs. 70.* scirrhi glandularum, Ephem. Germ. Dec. 2. & 5. obs. 65. Pancreas scirrhosum *Blas. obs. anat. p. 127. obs. Med. 23.* Huc etiam pertinent excretiones nimiæ & suppressæ aliàs solitæ, v. g. menstrua, hæmorrhoides, fluxus albus mulierum & gonorrhœa virorum. Venus nimia, à quâ tabes dorsalis, Vid. *Tulp. l. 3. cap. 24.* purgationes nimiæ. Hisce annumerandi, scabies, scorbutus, pleuritis, *vid. Sydenham de febb. p. m. 250.* puris sputum, lues Venerea, *Zac. Lus. l. 3. pr. adm. obs. 128.* it. *Fonseca l. 1. consf. 40.* Notanda hîc etiam hectica illa cum variis ejus symptomatibus à *Muralto Clav. Med. p. 105.* descripta, quæ lactanti ob fortiorem infantis suctionem & hinc nutrimenti detractionem contigit. Ortam quoque illam ex balneis naturalibus intempestivè adhibitis, ex nimio theriacæ usu, it. ex nimio 🜄 potu memorarunt *Zac. Lus. Med. pr. hist. 41. & 42.* & *Barthol. cent. 5. hist. 35.* Ut plura taceamus, à Practicis hinc inde collecta.

CAPUT IV.

Differentias examinat.

PErspectis causis differentiæ considerandæ veniunt, quæ non uniusmodi occurrunt.

Sic ratione *Generationis* hectica alia est velprimaria, vel secundaria. Illa per se incipit & à principio invadit, nullumque alium morbum ut causam aut sequitur, aut comitem habet, sed ex perverso rerum nonnaturalium usu, v. g. assumptis, retentis, animi affectibus oritur; quem tamen dari communiter negant. Vid. *Piens part. 2. de febb. p 49.* Observarunt tamen Practici illam ex jam dictis causis primariò obortam; taleque exemplum refert *Forest. l. 4. obs. 2. de febb.* de Topiario quodam hectico facto, & Diatritariorum corpora per abstinentiam cibi triduanam in Hecticas febres esse perducta ex Galeno notat *River. pr. med. l. 17. c. 3.* Imò sæpissimè ex solo ventriculi vitio & alimentorum cruditatibus originem traxisse constat.

Frequentissima tamen est *secundaria*, quæ ab alio morbo dependet, aut illum sequitur.

Ratione *causarum*, *alia* à febribus acutis sive intermittentibus minus methodicè curatis, producitur; *alia* illis recte quamvis sublatis propter reconvalescentium gulositatem supervenit; *alia* præter febres alios affectus, luem veneream, scabiem, scorbutum; *alia* inflammationes & exulcerationes viscerum, v. g. in pleuritide, phthisi comitatur.

Ratione *Accidentium*, alia est solitaria & simplex, alia cum febre, v. g. putridâ complicata.

Ratione *Temporis*, alia est recens, quæ non tàm altas egit radices, & faciliùs curari potest, v. g. in junioribus subjectis; alia inveterata, quæ difficillimè tollitur v. g. in senibus. *Tres* quoque ab Autoribus constituuntur *gradus* Hecticæ, quos Galenus *tempora*, alii species vocant. Primus gradus sive lenior est, si rorida saltem partium nutriendarum substantia successivè consumitur, ubi extenuatio adeò mitis est, ut à Medico aut etiam ægro vix animadvertatur. *Secundus*, ubi in gelatinosam magis substantiam conversus humor nutritius quasi deliquatur. *Tertius* verò, ubi staminibus fibrosis quicquid nutrimenti jamdum impactum sive intertextum consumitur, hincq; corpora flaccescunt atque exiccantur & ariditatem sensibus manifestam contrahunt.

CAPUT V.

Signa tàm diagnostica, quàm prognostica perlustrat.

SI ullus morborum, certè hectica accurata ac solicita indiget DIGNOTIONE. Difficillime enim cognoscitur, ita ut ejus principium curatu facilius, quàm cognitu utplurimum dicatur, cum ipsi ægri se vix febricitare sentiant. Nihilominus dari possunt signa, quæ vel imminentem, vel præsentem innuunt.

FUTURAM indicant partim res naturales v. g. temperamentum calidum & siccum, ætas juvenilis; partim nonnaturales, ut aer, acribus alteratus qualitatibus, alimenta nimis laudabilia; partim præternaturales, v. g. phthisis, partium internarum inflammationes, ulcera & fistulæ.

PRÆSENTEM indicant (1) *Essentialiter inhærentia.* Calor enim adest præsiccus, squalidus & perennis, sine dolore constanter æqualis & quasi latens, absque omni molestia affligens, primo contactu occurrit obscurus, sed tandem sub longiore mora fit acris atque mordax, hocque proprium & inseparabile insimul habet, ut horâ unâ vel alterâ post assumptum cibum augeatur, digestione verò ciborum factâ iterum minuatur & ad pristinam qualitatem febris redeat. Calor itidem adest *volæ manus*, desiderium potulentorum frequens & sitis continua, sudor copiosus, & appetitus debilis. Corpus imbecillum est & languidum, quod successiva tandem excipit contabescentia, & extenuatio corporis, & marasmus.

Ex *Essentialiter consequentibus* apparet (1) quoad *actiones læsas* pulsus frequens ac celerior, qui post pastum major evadit ac intensior, appetitus adest prostratus, saliva admodum glutinosa & sitis satis intensa. Accedit lassitudo totius cum dolore interdum ostocopo ac non rarò lancinante.

nante. ⊡na ſub initio morbi ſanorum ſimilis, progreſſu tamen temporis ob calorem colliquantem & humores conſumentem evadit *oleoſa*, ac pinguedo ſub telarum aranearum formâ urinæ ſupernatat. *Sudores* adſunt nocturni & colliquativi, alvi laxitas extraordinaria ac capillorum denique defluvium, vid. *Sennert. l. 3. de febb. p. 337. 342. &c.*

(2) Quoad *qualitates mutatas* adſunt oculi cavi, aridâ ſorde onerati, cutis in fronte ſicca & dura, palpebræ rigidæ, tempora collapſa, uno verbo: facies illa cadaveroſa, *Hippocratica* nuncupata.

Tres quoque memorati gradus ſigna ſua ſpeciatim agnoſcunt. Sic primus commodiſſimè per exacerbationem caloris poſt paſtum ſe prodit. Secundum verò ⊡a oleaginoſa evincit. Tertii denique manifeſtiores ſunt notæ, raro autem ſimplices, ſed communes cum aliis morbis & cauſis emaciantibus exiſtunt, & ſunt omnia illa, quæ ſub faciei Hippocraticæ lineamentis circumferuntur; quibus accedunt alvi continua laxitas, ſudores nocturni, ac capillorum defluvium. Vid. *Lomm. obſ. medicin. p. 57. 58.*

Prognosin *Salutis* & *Mortis* quod attinet, vel tardius citiusque interimit, aut ſalutem promittit, prout vel magis vel minus calor colliquativus, qui humiditatem totius corporis abſumit & deſtruit, affligit; hinc ſubſequens emaciatio, difficillimè curatur. Tabes, dicente *Tralliano l. 10. c. 5.* quæ reverà humiditates, quæ in partibus exiſtunt, abſumit, abſolutus interitus eſt, nullam recipit medicinam.

⊡a *oleaginoſa* malum morbi ſtatum indicat, juxta *Hipp. 2. Prognoſt. c. 31.*, pinguedines, quæ in urina ſuperſtant, aranearum telarum ſpeciem referentes, damnare oportet: ſunt colliquationis ſigna.

Alvi profluvium cum capillorum caſu peſſimum: quibuscunque enim in inveterata tabe à capite unà capilli profluunt, ii diarrhœâ ſuperveniente moriuntur. *Hipp. ſ. 5. aph. 11. 14. & coac. prænot. text. 434. 436.*

Hectica ab *ulcere* pulmonum proveniens, ſputo ſuppreſſo

augetur,

augetur, & instantis delirii indicium, testante *Hipp. Coac. prænot. text. 437.*

Tempus Eventus. Morbus satis diuturnus Hectica est, longior tamen, aut brevior pro diversitate subjectorum & morborum conjunctorum. Felicius enim curatur simplex, quàm conjuncta. It. quæ recens est inque principio, quàm quæ magis confirmata & colliquationi proxima est. Juvenes faciliùs, senes verò difficiliùs, imò nunquam curantur.

Eventus modus. Ad mortem terminatur, si alvi fluxus supervenit cum capillorum casu, continui sudores observantur, nocturni & colliquativi, pedum intumescentia & facies Hippocratica. Vid. *Hipp. l. 1. & Sennert. l. 3. de febb. 337. 342.*

CAPUT VI.

Methodum medendi proponit.

PErspectis, quantum licuit iis, quæ ad Hecticæ cognitionem pertinent, restat, ut ipsam CURATIONEM subjungamus, præsidiaque quæramus, quibus lentus quidem, sed insidiosus ac infensus hostis profligari ac vinci queat. Quod ut eò melius fiat, tribus *Methodum Medendi* fulcientibus innitemur *Indicationibus*, scilicet *Curatoria, Præservatoria* & *Vitali.*

CURATORIA ipsum affectum respicit, caloremque colliquativum sistendum, sudorem coercendum, ulcus, à quò dependet, mundificandum & consolidandum, emaciatos ad vigorem reducendos pristinum, dictitat.

PRÆSERVATORIA causas removendas respicit, acrimoniam humorum temperando, horum visciditatem corrigendo ac digestionibus vigorem reparando.

VITALIS deniq; virium rationem habere jubet ut deperditæ restituantur, præsentes conserventur ac roborentur. Id quod ex debitâ rerum nonnaturalium moderatione dependet.

Ut satisfiat hisce indicationibus, *materiam præsidiorum* ex tribus consuetis hauriemus fontibus: Chirurgico, Pharmacevtico & Diætetico.

Ex Chirurgicis auxiliis primum obſervatur VENÆSECTIO ſummum aliàs plurium morborum profligandorum remedium. Summè illam vetat *Avicenna l. 4. c. 20.* in corporibus fortis maciei. *Galenus 9. meth. med. 15.* inquiens: *Si natura gracilis aut temperatior, aut calida ſicca, maximè ex evacuationibus offenditur.* Magna itaque cautio eſt adhibenda & cauſarum hecticæ ratio habenda diligenter. Ordinariè ergò, & in ſimplici hectica, & ubi corpus particulis nutritiis ſpiritibusque animalibus jamdum depauperatum eſt, nullum à ſanguinis miſſione expectari poteſt ſolatium, ſed nutrimentis potiùs reficiendum erit, quàm evacuationibus talibus exhauriendum. Ubi autem ſolenniores ſanguinis evacuationes hæmorrhoidum vel menſium ſuppreſſæ, hecticam producunt, V. S. locum invenire poteſt. Tali *Galen. 6. Epidem. comm. 29.* mulierem ob diuturnam menſtruorum ſuppreſſionem, hecticâ ferè conſumtam reſtituit Vid. etiam *Hipp. l. 5. Epidem. c. 2. text. 15.* Hos imitati fuerunt *Benivenius de abd. rer. cauſ. c. 44.* & *Zechius conſult. p. 338.* ob defectum menſium hecticâ correptas iterata ſanguinis miſſione curaverunt. Vires tamen ſemper reſpiciendæ, aliàs nunquam admittenda, licet à *Botallo de ſang. Miſſ. c. 17.* adeò commendetur.

Quod de V. S. dictum, illud etiam de *cucurbitulis* intelligendum. Scilicet in hecticâ ſimplici magis hæ nocere, quàm prodeſſe, videntur. *Hæmorrhoidum* autem apertio in adſuetis, ſi hectica ab illarum obſtructione proveniat, non planè diſſuadenda eſt. *Frictiones* multum prodeſſe, *Fortis lib. 1. de febb. aſſerit*, præcipuè, ſi quatuor horis ab aſſumpto cibô peragantur; ac inſuper cutis manibus oleo amygd. inunctis contrectetur atque humectetur.

PHARMACIA uti præſtantiſſima ſubminiſtrat remedia, ita ſecundum ordinem illa conſiderabimus.

LENIENTIA, ſemper egregium in foro Medico præſtant uſum, unde in hectica quoque haut contemnenda ſunt, quod mediantibus illis primæ viæ ab impuritatibus heterogeneis liberentur, inteſtina abſtergantur, ſicque major hu-

morum

morum acrimonia præcaveatur. Accedunt excrementa in hecticis diversa, feces duræ, imò sæpiùs in principio & incremento difficulter excernendæ, unde lenientia ad talium eliminationem commendanda sunt. Laudantur hoc nomine *ex Rhabarb. alexandr.* parata, M℞. ♀*car.*, *de ammoniaco Quercetani, extractum aloes, cremor* ♀*ri*, *s.s.s.*, *pulpa passular.*, *syr. de pom. laxativ.*, *syr. violar. & ros. solut.*, quo usus est *Forestus* per simplicem aliquoties infusionem factam parato *l. 4. obs. 6. Elix. propr. laxativ.* Commendat *Fortis T. 1. cent. 2. cons. 59.* ad alvum obstructam reserandam *fl. cass. rec. extr. c. Rhabarb.* maturo epoto. Spectant huc etiam *Pilulæ F. F.* & *Glassianæ, pulpa prunor. & tamarind.*

Notandum tamen semper de laxativis, ad feliciorem effectum *incidentia* ac *digestiva* præmittenda iis esse, qualia sunt *liquor* ▽ *foliat.* ♀*ri*, ℞♀*ri*, ℞*æ* ♂*ales*, *arcan. duplicat.*, *cryställ.* ♀*ri* ♂*ales*.

Purgantia quod attinet, pariter omnia probè ponderanda, & perquàm cautè arida corpora his exponenda. Vid. *Svalwe disq. ther. p. 40.* Non enim in quavis febre hecticâ illa convenire, experientiâ probatum est. Si enim vires nimis fractæ & febris hectica ab inflammatione & ulceribus viscerum dependet, aut simplex est, à catharticis planè abstinendum, ne alvi ductione fluxus maximè formidandus, modò non lethalis, contingat; Si verò ab alio morbo dependeat, & febri minus curatæ aut scorbuto &c. superveniat; aut intempestivum præcipitantium usum & abusum sequatur; aut voracitatis post febrem nimiæ soboles sit, *κάθαρσις* lenior abstersiva & quidem in principio, præparantibus præmissis, institui potest, ex *Rhabarb. agaric. senna, Jalap. manna,* & ex his parata, ut *species diajalap. diasenn. pulv. laxat. vegetab, ext. panchymag. Croll. cathol. Andernac. Elect. lenit. syr. de cichor. c. Rhabarb. &c.*

Quod si vitium in ventriculo & primis lateat viis, propter cruditates à debili ventriculo productas, sursum evacuatio per Vomitoria blanda indicatur, parùm obstante assertô *Hipp. aph. 8. s. 4. Tabidi verò vitantes purgationes*

sursum. Intelligendus enim Aphorismus est non de quavis tabe, sed de illa tantûm, quæ ex pulmonum ulcere producta est, atque iis vomitoria dare vetat, qui ulcere aut marcore pulmonum laborant, vel ad id malum propensi sunt ob rupturæ nimirum vasorum & humorum ad partem affectam impetuosioris motus metum. Quod si verò hectica ventriculi vitio originem debeat, vomitoria leniora in curatione omnium prima esse debent. Atq; ita *Lindani* attendendum est consilium: In curatione hecticæ statim ad partis affectæ cognitionem dirigenda est meditatio; quâ cognitâ, faciliùs Hectica, quàm Quartana curatur. Par ratio est, si febres alias, aut scabiem, scorbutum, cachexiam &c. sequatur, vel post malam in febribus diætam aut intempestivè adhibita præcipitantia irruat, in quibus omnibus vomitorium omnium optimè convenit, & quidem *ex* ♀ *ró Emetico*, aliisque.

Utilissimi etiam hic sunt CLYSTERES, ex emollientibus, humectantibus & refrigerantibus. Si enim intestina excrementis repleta sint, & scybalis crassioribus scateant, optimè ex jam dictis & deobstruentibus, non tamen acribus, parati adhiberi possunt. *Forest. l. 4. obs. 6.* ex herb. malv bet, & sem. hord. in convenienti liquore decoctis enema adhibuit; & *Horst. l. 1. obs. 33.* in Hectica cum diarrhæa laudat clysterem ex *decoct. brodii Gallinæ* mediocriter salsi, coctis in illo *fl. violar.*, *chamæm.*, *Mercurial.*, *malvæ* &c.

Ex DIAPHORETICORUM usu magna quoque tabidis spes affulget. Ex effectu quidem videntur nocere magis, quàm prodesse tabido corpori, quod humidum per poros eliminent, calorem magis relinquant, corpusque exiccent. Verùm ita non tollitur laudatissimus illorum usus. Prosunt enim in febribus, juxta effatum *Excellentissimi Wedelii, Patroni atque Præceptoris maximè suspiciendi amœn. mat. med. p. 348.* & in hectica quæ ferè magis comes & productum est febrium, quàm febris principalis; neque ipsa tamen excludit temperata, utpote quibus acrimoniam humorum temperare & horum viscididatem corrigere, incidere, attenuare, &, si non eva-

evacuantur præparare atque emendare medicus valebit. Præstabunt autem, si cum humectantibus misceantur, & conveniet *antihecticum Poterii*, quod *cum* ⊖✱*co* deprædicat *B. Ettmüllerus, Bezoard Jovial.* ♉. *Diaphor.*, ⁓*us* ♀*ri*, *ligni Guajaci*, *essent. lignor.*, & mitiora alia.

Adjungenda his sunt Diuretica, quorum quidem usum interdicere videtur habitus constitutio siccior; verùm in morbi principio, si causa continens acrimonia quædam scorbutica vel similis per has vias eliminari debet, admitti possunt, cum Diaphoreticis, imo nec in illa macie planè excludenda, quæ ab Empyemate & ulcere pulmonum dependet, utpote in quo casu ipso naturæ motu purulenta non rarò cum □na eliminantur. Locum itaque habebunt *temperatiora*, ⊖*na* alcalica & ⊖*sa*, ⦶*sa*, quæ simul ardorem restinguunt; omittenda tamen, quando fluxus colliquativus alvi simul instet. Sunt verò *arcan. dupl.*, ⦶ ♉*atum*, ⊖*absynt. c. cent. min.*, ⊖✱*cum*, ♀*rus* ⊕*latus*, ⊖♀*ri essentif.*, ▽*foliat.* ♀*ri*, ℞. ♀*ri*, ⁓ ⊖ *dulc.*, *essent. sive extract. lignor. &c.*

Majorem opem promittunt Alterantia tàm generalia, quàm specialia, acrimoniam corrigentia, viscididatem attenuantia, & viscera corroborantia; cui fini inserviunt *ocul.* ♋, *margarit.*, ⊖✱*cum*, ▽*a foliata* ♀*ri*, ⊖♀*ri essentif.*, *antihect. Poter.* cum *conserva rosarum rubr. butyr. perlar.*, *liquor perlar. per deliq.* ⁓*us perlar. Mynf.*, *pulv. antihect. Conerding. ex* ⦶, ⊕*lo*, *& ocul.* ♋, *ex Ephem. Germ. recenset Bonetus Med. sept. part. 2. pag. 181.* Itē ♂*alia* & ♄*nina*, nisi ventriculus renitatur, v.g. *Sacchar.* ♄*ni*, ℞*a antiphth. Mich.*, *spec. dia* ♄*ni*, *Magist.* ♄*ni*, ▽*a rorellæ, vituli cum succ. herbar.*, *ex sangu. porcellorum*, *ex ostreis*, *è succo cancrorum & ranarum*, ▽. *Epiphan. Ferd. Ros* ⊕*li volat.* sive volatile magis & omnium primò prodiens ⊕li phlegma, super novum ⊕lum aliquoties rectificatum. Vid. *Marc. Marci Philos. vet. rest. part. 5. s. 9. p. 550.* Hùc spectant ex vegetabilibus ⦶*sa*, scilicet *Endivia*, *lactuca*, *borrag. buglossa*, *viola*, *nymphæa*, *& cichor. liquirit. & passulæ*, *spec. diatragacanth. frigidæ*, *nucl. pini*, *pistac.* &c. & ex his paratæ *emulsiones* &c.

Notandum tamen, curam semper ratione morborum, quos hectica vel sequitur, vel comitatur, variandam atque adornandam esse. Sic in ulceribus, abscessibus & fistulis medicamenta requiruntur mundificantia & consolidantia, quò spectant vulneraria, v. g. *scabiosa, veron. chærefol. balf. ♀ris anisat. fl. ♀ris* &c. Omnium autem morborum cum Hectica conjunctorum curationem tradere hîc supersedemus, cùm quævis è propriis petenda sit locis.

Symptomata hecticis aliàs infesta quando urgent, de illorum remotione ante omnia cogitandum erit. Si contumax alvi adsit fluxus, refrenandus erit remediis ex *cydon. rof. rubr. lacte chalybeat. c. unicorn. foss. &c. Agrypnia* & *sudor* emulsionibus *amygd. pinear.* ac *sem. 4. frig. maj.* ita compescenda, ne frequenti usu viscìditas morbifica augeatur. Sudores inhibent interiùs constringentia, austera & remorantia ▽ea, & speciatim ℞*a antiphthis. ex* ⊕*lo* ♂*tis, Sacch.* ♄*ni &* ♄, quæ hîc maximi momenti habenda.

Inter Topica balneum ▽ *dulcis* primas obtinet, de quo prædicat *River. c. de hect.* quod corpus refrigeret, humectet, partesque externas relaxet, ut promptius alimentum excipiant. Prius adhibendum est tepidum, deinde frigidum, quem modum, tanquam tutiorem quoque eligit *Fortis, lib. de feb. cap. de Hect.* Instituatur cibo jam concocto, ne statim à cibo cruditates pariat, juxta *Hipp. 3. de victu acut. 54 : Neque potu neq; cibo saturatum lavare æquum est.* Ut verò plus humectet membra exiccata, convenientes simul coqui possunt plantæ, v. g. *fol. malv. alth. branc. urs. fl. melil. chamom. sem. lini &c.* Ex animali quoque regno huc accersuntur partes animalium, ut pedes vitulini, suilli vel vervecis; Nec insvetum est, lac vaccinum liquori affundere. Commendat quoque balneum olei admixta quantitate *Zac. Pr. adm. l. 3. obs. 35.*, & oleum olivarum pro balneo, nisi putrida conjuncta sit, suadet *Frid. Hofm. M. M. p. 358.*

Post usum balnei laudantur Inunctiones dorsi cum frigefacientibus & poros obstruentibus, *ol. amygd. dulc.*, *ros.*, *nymph.*, *ex pistaciis*, *pineis*, *lil. alb.*, *medull. crur. vitul.*, *pingued. hum.*,

ungu.

ungu. Rosac., *dialth.*, *rosat. Mesue*, *Amati Lus. liniment.* de Ranis, butyroinsulso repletis & in sartagine frixis. It. *Emplastrum de sperm. ranar. spinæ dorsi applicatum.*

Caput VII.

Diætam addit.

Agmen claudit Diæta, maximæ tàm ad curationem, quàm præservationem efficaciæ.

Sit itaque Aer temperatus, si naturâ non talis, arte corrigendus, ad frigiditatem paulò inclinans, serenus; absit variis inquinamentis defœdatus, nimis siccus ac calidus. Vitetur quoque juxta *Hipp.* autumnalis *s. 3. aph. 22.*

Cibi sint boni succi & digestionis facilis, v. g. *caro perdicum, vitulorum, caponum, porcellorum, gallinarum* &c. & ex his parata jusculа, quibus addi possunt *semina frigida*, *amygd.*, *passulæ.* Sic *Zecchius conf. 28.* jus parvæ pullæ omni pinguedine semota ante cœnam utiliter propinavit. Conceduntur pisces saxatiles in puris aquis viventes. *Ranarum, testudinum, gammarorum* & *ostrearum* usum quidam approbant, quidam damnant, quod difficilis sint concoctionis, ideò jus saltem cochlearum coctarum ægris præbet *Sennert. l. 3. de feb. c. 3.* Verùm observandum est aureum illud: Ne quid nimis! quod *Cl. Sachs. Gammarol. l. 2. s. 2. c. 4.* inculcat, inter hecticam incipientem & confirmatam distinguens; ibi quidem illorum usum concedens, hîc verò remedia ex iisdem consulens. Subinde etiam stomachi vires attendendæ, imò appetitus interdum dictamini auscultandum. Vid. *Tulp. l. 2. obs. 8.* Hùc spectant panis triticeus ritè fermentatus, ovorum vitelli, ptisanæ cremor, pepones, de quibus vid. *Borell. obs. 70. cent. 4. & Malpigh. ep. 1. de pulm. p. m. 117.*

Potus esto cerevisia mediocris ac defecata, non crassa ac feculenta; decoct. hord. it. Emulsiones. *Vinum* ad vires diuturnitate morbi fractas refocillandas & coctionem juvandam concedatur pauciferum, maturum, parumque 🜄æ

dilu-

dilutum. Vid. *Sachs. ampelograph. s. 2. s. 6. p. 285.* & *Sylvius Prax. l. 1. c. 31. §. 22.*

Lac hecticis magnum afferre commodum & citiùs nutrire, uno ore affirmant Practici. Circa hujus tamen usum observandum, ut primæ viæ, priusquam concedatur, abstergantur & mundificentur, &, ne febris combinata sit putrida. Probè quoque dispiciendum, an æger ratione doloris capitis, ventriculi, tensionis hypochondriorum, ejus usum ferat juxta *Hipp. Aph. 64. s. 5.* ne vomitus nauseaque succedat, aut aliæ excitentur graviores molestiæ, Vid. *Joël Pr. T. 5. p. 37.* Inter lactis genera usurpatur *muliebre*; extra hoc *bubulum*, in specie *ebutyratum*, quod laudat *Piens de febb. p. 2. p. 61.* Optimum est *asininum*, utpote serosius, qua de causa interdum etiam serum lactis substitui potest. *V. Barbat. de sero & sangu. p. 10.* Adhibeatur maturè & viribus adhuc constantibus. Ad coagulationem impediendam injiciatur parum Sacchari, bibatur mane & vesperi calidum aut calefactum ab unciis iij. vel iv. usque ad lib. j., ratione tamen semper habitâ subjectorum. Post potum se non commoveat vehementius æger, nec quiescat planè, multò minus dormiat; dum utitur, à carnium abstineat esu. Vid. *Sennert. de febb. l. 3. c. 3.*

Motus sit blandus, nec modum excedat. *Fluxus* eorum, quæ aliàs ceu bona retineri debebant, modum non excedant, v. g. in menstruis & hæmorrhoidibus. *Venus* nimia, fortiora purgantia, & diaphoresis larga exulent. Contrà, *excretiones* solitæ ac præsertim naturales atque individuo aliàs proficuæ, si segniores, promoveantur.

Inter Affectus animi fugiatur Ira; Nec locus concedendus tristitiæ & moerori. Animus sit lætus & tranquillus; Somnus mediocris, corpus reficiens. Vigiliæ moderatæ, ne spiritus absumantur & corpus ob illorum defectum magis evadat tabidum.

Soli Deo Gloria!